

consequetur, & hæreditates, quas non quæsierit. Et si in sexta, uel duodecima, erit iudicatus in uulgo & ab animalibus bona, uel propter carceratos uel seruientes sibi habebit, & bonum ex natura signi, in quo Iupiter fuerit.

Mars si Iouem aspicerit, & ambo sint in bono statu, significat quod natus habebit illo anno dominium & magisteria sua, intellectum acquiret, & inde laudabitur, & lucra de dominis & nobilibus viris consequetur. Et si ambo iuncti fuerint in domo alicuius ipsorum, habebit dominium in terra sua, & erit fortis & magni animi.

Et si Sol eum aspicerit de sextili, Sole existente fortunato, significat bonum coniugium, fortunæ prosperitatem, filium & lætitiam.

Et si aspectus fuerit ex trino, & Iupiter sit retrogradus, uel quod aspectus fuerit in uno duorum temporum, & non in alio, hæ significationes, quas diximus erunt minores.

Et si Sol iunctus aspectu fuerit cum eo, & ipse orientalis, habebit natus lucra, & altum dignitatis gradum à multis partibus, & erit in parentum amore, & ea de re lætabitur.

Et si Sol Iouem combusserit, accident nato omnium rerum molestiæ, quæ sint ex significatione Iouis.

Et si Sol fuerit Ioue potentior in illo loco, forte morietur natus in illo anno.

Et si Iupiter fuerit potentior, hæc mala minora erunt &c.

Venus si iuncta fuerit cum Ioue, uel eum bene aspicerit, & sit in bono statu, indicat lætitiam, & bonum statum ex parte mulierum, aut hominum effeminatum, bonas uestes, lucra ex magisterijs, eritq; natus appetens odoriferarum rerum, & ab omnibus honoratus.

Mercurius si iunctus fuerit cum Ioue, aut bene eum aspicerit in ambobus temporibus, & sit in bono statu, natus illo anno dabit operam legibus, & ad appetitum libertatis impellebitur, associabitur scribis uel officialibus regum, & erit intentus rebus religiosis, & legalibus, & lucrabitur ex omni re sui exercitijs, uel magistratus quem habuerit &c.

Luna si iuncta fuerit Ioui in ambobus temporibus, uel aspicerint eum bene, significat augmenta diuitiarum & potentiae, & in agendis honorem & prosperitatem, & ad dignitatem illo anno perueniet.

Et si Luna in aspectu fuerit aucta lumine, istæ significationes erunt maiores, & illo anno natus ille erit intentus ad prolem generandam, filium etiam acquireret, & in omnibus suis rebus prosperitas aderit.

Iupiter si per retrogradationem fuerit in malo statu, aut per combustionem, uel illud infortunium, uel occidentalis, uel peregrinus, aut in domo infortunantium, uel in cadenti, aut gradu tenebroso, minuetur eius bonitas, & damnabit ea quæ sunt uæ significationis parumper.

Si uero in hoc eius malo statu fuerit, ad eum malus infortunantium aspectus damnabit omnia secundum naturam, & potestatem illius planetæ & signi in quo uerit, ac domus tam in natali quam revolutione. Et si in signo fuerit regali, damnum erit à regibus, & sic de singulis iudicato secundum ipsorum naturam & potestatem.

Et si in hoc Iouis statu Saturnus fuerit, qui eum infortunauerit, damnum erit in enibus, rebusq; rusticis, per patres & ualetudines, quæ sint difficilis curationis, uel per carceres, uel per aliquam egestatem.

Et si Mars fuerit qui Iouem infortunauerit, erit impedimentum à militibus, libusq; maxime si fuerit supra Iouem eleuatus in decima.

Et si Sol Iouem infortunauerit per quadratum uel oppositum, & sit supra eum eleuatus, damnum erit à patribus & regibus, & illis subuenient.

Hh Venus